UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

# Aluari Pelagij de pla[n]ctu eccl[es]ie desideratissimi libri duo et indice copiosissimo et marginarijs additionibus rece[n]s illustrati

**Alvarus <Pelagius>**

**Lugduni, 1517**

Reuerendo in christo patri vigilantissimoq[ue] Dertosanoru[m] antistiti d[omi]no Hadriano Florentio Traiecte[n]si / Joannes Theodericus Bellouacus felicitatem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29953

Visual Library

⁋ Reuerendo in chriſto patri vigilantiſſimoq̃ Dertoſanorū antiſtiti dñi Hadriano Florentio Traiectēſi / Joannes Theodericus Bellouacus felicitatem.

Pyſiſtratus ille tyrannorum qui vnq̃ Athenis fuere celebratiſſimus/antiſtes meritiſſime: quū indicibili prope rerū preclare geſtarū gloria/tum eo potiſſimū nomine famā ſibi peperit nūq̃ niſi cum ſeculo interituram: q̃ Homerū grecanice atq̃ adeo vniuerſe poeſeos numen ⁊ exemplar mutilū mancum ⁊ mēbratim articulatimq̃ miſere diſcerptū integritati priſtine reſtituit. Jam em̄ deploratus erat: iam condamatus Homerus. Omnē penitus Homerica lectione fruendi ſpem abiecerant mortales. Aberatq̃ vel minimū quin eius memoriā ex hominū mentibus tam detrimentoſa temporum iniuria funditus oblitteraſſet. Adfuit tū ſed id ex inſperato preterq̃ omniū expectationē/Pyſiſtratus: ⁊ ingenij perſpicacitatem vulgari/⁊ eloquentie melleo dulcore nemini ſua etate ſecūdus: qui tam inſignem iacturā quoquo modo ſarcire contēdens: decreuit nulli ſumptuū immenſitati parcens/aut laboribus tameſi grauiſſimis animo: aut q[illegible]lici conceperat auſpicio/felicioribus ad finē auibus perducere. Is itaq̃ oēs in id neruos intendēs: ſecq̃ totum ea quā verbis conſequi paucorū fuerit alacritate tā neceſſario illi negotio deuouens partim ſua partim adhibita literatiſſimi cuiuſq̃ eius tēpeſtatis induſtria: poeſim Homericā in eum quem nūc cernimus ordinem curauit redigendā. Quo ſane quantū vniuerſo mortalium generi acceſſerit vtilitatis/penes te ſit iudiciū preſulum doctiſſime: vtpote cuius multiiugā eruditionē vel ex hoc deprehendere eſt q̄ quanti ſint muſe facūdaq̃ Pitho (ne de ſacris literis impreſentiarū verba faciā) tibi eſſe compertiſſimū nemo ſit qui ambigat. Sed quorſum hec tendant ſiquis fuerit percūctatus: velim ſciat me in ea eſſe ſententia/vt nō minus ei nos debere cōtenderim: qui preclarū aliquod opus valde multos annos occultatū eruerit in lucem reuocandū: q̃ primario eiuſdē concinnatori excogitatori ve. Quod rationibus variis perſuadeā nō opus eſſe crediderim. Hoc tamen vnū obiter adiecerim quod ad rem facere videatur: eorū que perierunt periiſſe quoq̃ iuuandi poteſtatē. Quapropter non poſſum nō congratulari noſtre tempeſtatis felicitati: q̄ nobis ingenioſiſſimū pariter iuris vtriuſq̃ conſultiſſimū Joannem lupū de rubris (vt loquitur) palatijs dono quodā peculiari largita eſt. Quippe q̄ detrimēti qd nunq̃ ſatis laudari huius operis/cui titulus eſt de planctu eccleſie/penuria patiebamur vindex futurus: ex Joanne Clein bibliopola Lugdunenſi de re literaria q̄ optime merito quotidianis quaſi cōuicijs extorſit vt ipſum characteribus ſtāneis in mille diuulgaret volumina. Is aūt (vt eſt nemini non obſequentiſſimus/emolumentiq̃ publici cupidiſſimus) qd facturum ſe receperat non citra grauem ſumptuū impenſam tādem ad ſcopum deduxit. Enimuero qm̄ noſtra quidē ſententia nō dedecuit alicuius prime note viri nomē: vt paria paribus reſpōderent operis vſq̃ adeo deſiderati frontiſpicio veluti gēmam prefigere: diligentiori nobis indagine perſcrutātibus quē oīno mortaliū non penitendo hoc munere donaremus: tu in primis vnus occurriſti qui hocce donario nō indignus cenſereris. Fuit quippe Aluarus Pelagius cuius eruditionis hec ſunt monumēta/hiſpanus: nō theologie modo/ſed ⁊ iuris vtriuſq̃ peritia nominatiſſimus: vt hec legenti nihil eum latuiſſe qd ad ius ceſareū pontificiumve ſpectaret/innoteſcat. Tu itidem pontifex literatiſſime perpetuo ſudorū tuorum ſtudio ad id apicis euectus es (aſſentari neſcio: nec ſi ſciam velim) vt primū illuſtriſſimi principis Caroli regis Hiſpaniarū catholici munificentia plane regia non mediocriter illuſtratus: demū fueris optimi cuiuſq̃ ſuffragio Dertoſanorū (qui hiſpani ſunt) epiſcopatui prefectus: inibi prefati regis legatū agens ⁊ prudentiſſimū ⁊ nemini nō acceptiſſimū. Quandoquidē vero bono (quod aiunt) vino hedera nō eſt opus: ſimul tuos mores probatiſſimos/ſimul ⁊ eruditionē inauditam vtriq̃ nouerunt exploratiſſime: ⁊ qui tecum nō nihil habent cōſuetudinis: ⁊ qui tue literature monumenta in ſacras literas nō ita multis ante annis edita nō oſcitabunde perlegerūt. Proinde id vnum ex tua beneuolētia velim exoratū: vt quicquid hoc eſt munuſculi ſi auſu fortaſſe temerario at certe cādido tibi oblatū animo boni conſulas. Nec vitio mihi adſcripſeris q̄ infime ſortis ego vixq̃ treſſis homūculus tantū virum tamq̃ vel primoribus venerādū/ſim auſus verbis ⁊ eiſdem inconditiſſimis aggredi: quem ne oculis quidem intueri me decuerat. Dijs nempe ſupplicant ⁊ ruſtici. Vale bonarum literarum decus. Ex Lugduno pridie nonas Auguſtas.